

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Homo y cum fonte primo

Que conditio rerum eadem hominum est. Navis bona dicitur non que preciosis coloribus picta est, nec cui argenteum aut aureum rostrum est, nec cuius tutela ebore celata est, neque fiscis atque opibus regiis pressa est, sed stabilis et firma et iuncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris solida, gubernaculo parens, uelox et non sentiens uentum. Gladium bonum dices non cui deauratus est balteus, nec cuius uagina gemmis distinguitur, sed cui ad secundum subtilis acies est et mucro munimentum omne rupturus. Regula non quam formosa sed quam recta sit queritur; eo quidque laudatur cui comparatur quod illi proprium est. Ergo in homine quoque nichil ad rem pertinet, quantum aret, quantum feneret, a quam multis salutetur, quam precioso incumbat lecto, quam perlucido poculo bibat, sed quam bonus sit. Bonus autem est si ratio explicita et recta est et ad nature sue uoluntatem accommodata. Hec uocatur uirtus; hoc est honestum et unicum hominis bonum.

Ibidem (Seneca LXXVII. epistola ad Lucilium).

Quae conditio rerum, eadem hominum est: navis bona dicitur non quae preciosis coloribus picta est nec cui argenteum aut aureum rostrum est nec cuius tutela ebore caelata est nec quae fiscis atque opibus regiis pressa est, sed stabilis et firma et iuncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris solida, gubernaculo parens, uelox et non sentiens uentum; gladium bonum dices non cui auratus est balteus nec cuius uagina gemmis distinguitur, sed cui et ad secundum subtilis acies est et mucro munimentum omne rupturus; regula non quam formosa, sed quam recta sit quaeritur: eo quidque laudatur cui comparatur, quod illi proprium est. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet quantum aret, quantum feneret, a quam multis salutetur, quam precioso incumbat lecto, quam perlucido poculo bibat, sed quam bonus sit. Bonus autem est si ratio eius explicita et recta est et ad naturae suae uoluntatem accommodata. Haec uocatur uirtus, hoc est honestum et unicum hominis bonum.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 76, 13-16 (L. Reynolds ed., vol.1, pp.239-40, ll.18-32, 1-3).